

Johann Sleker Nicolaus Loche

Exercitationum Philosophicarum Tertia. De Naturali Appetitu Cognoscendi


Rostochii: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729131416>

Druck Freier  Zugang



F. Leker.
R. U. phil. 1612.



3 8
D. T. O. M. A.
Exercitationum Philosophicarum

Tertia.

147.

DE NATURALI
APPETITU COGNO-
SCENDI.

PUBLICÆ PROPOSITA

à

M. JOHANNĒ SLEKERO

Ph. P. P.

RESPONDENTE

NICOLAO LOCCIO

Lunæburg.

Habebitur disputatio in Auditorio majori 7. Octob.



ROSTOCHII

Typis exscriptis Joachimus Pedanus

ANNO M. DC. XII.



Intellectualitas, non inter attributa rerum, sed de Essentia est. Intellectus vera hominis forma: natura ejus *ἡ ἀπὸ τοῦ ὄντος*; status ejusdem primus, quasi rase tabulæ; sed qui ad cognoscendum tamen feratur appetitu naturali & elicitio: rationem ostendo ex 1. an. 1. 1.

THESIS I.



Nulla substantia Intellectualis, quin Spiritualis; nulla Spiritualis, quin Intellectualis sit.

2. Pulchre in hanc sententiam & plura Algazel. disp. 5. S. ult: Cum dicitur Intellectus, est, quod sit Ens mundum à materia. Et omne Ens tale, est Intellectus. &c.

3. Pulchre inquam, vel ipso iudice Averroë: nisi quod Peripateticis imponere videatur quasi horum sententiâ, nomen Intellectum, dictum de Deo, relationem significet.

4. Neq; enim sic est; inquit Aver. cum sit nomen sibi (Deo) secundum Peripateticos proprium; non quo denominetur; sed quo ipsum notetur Primum Principium.

5. Hoc nimirum est, quod Scotus qua. 1. Quod 1. proponit: Intellectualitas, seu vita Intellectualis, est idem essentialiter divina essentia: non quidem ut attributa alia, qua realiter, identitate simpliciter, cum essentia sunt unum; sed ea ratione, ut, si essentia divina esset definienda, definitionem hanc ingrederetur Intellectualitas: velut ei competens secundum rationem perfectionis omnino intima.

6. Et qui aliter in Deo? (pergit Scotus) cum in creaturis Intellectualitas sit intra rationem essentia ejus quod Intellectuale est; Sicut in ratione hominis ponitur rationale; quod intellectualem ejus designat, essentiam.

7. Neq; n. simpliciter accipiendū, quod Averr. ait disp. 6. solut. dub. 2. Intellectus nihil aliud est, quam comprehensio intelligibilitū.

8. Operatio quippe complementum quidem perfectioq; operantis est (9. Metaphy. com. 17.) & lumen ejus per quod res intelligatur. (Thom. de caus.) At nulla tamen res, potentia nulla, primum suum esse habet per illam, Scot. d. 1.

9. Et præter Aristotelis mentem esse, quod Lincon. 1. Post. & alij, Plotinum secuti En. 1. l. 7. c. 1. perfectionem cuiusq; rei omnem, hoc operationis ambitu contineri volunt, clarum est 2. Cael. t. 62. & 64. cum inquit: Quam optime se habenti, bonum inest sine actione.

10. Ubi Averr. Nobilitas abstractorum consistit in seipsis. (Et addit) sed nobilitas aliorum Entium consistit in actione eorum.

11. Verissime tamen & in ipsa etiam horum natura, ante omnem operationis respectum, perfectio est; eaq; ut merito prima & essentialis in omnibus, sic in homine Intellectualis etiam habenda est.

12. Intelligit enim homo, quia intellectualis est. Intellectualis autem per formam; nempe Intellectum ipsum, qui in animatorum genere διανοητικόν, λογιστικόν, δόξαντικόν illud vere constituit; non operationum saltem respectu, sed essentia.

13. Forma quippe apud Philosophos signum, operatio est: & signum subjecti sumpserunt ex passionibus. Aver. destr. d. 6. sol. dub. 6. & disp. 10. sol. dub. 2.

14. Propositio itaq; nota ferme per naturam (inquit alicubi Scotus) quod homo sit rationalis. Neq; negare ausus Averroes: cui & hoc placet 3. an. t. 1. 12. Metaphy. 38. 10. Eth. c. 9. quod per virtutem rationalem homo differat à reliquis animantibus. Imò quod & vita intellectiva vivat per animam rationalem, 12. Metaphy. 39.

15. Quæ testimonia veritatis mutuanda nobis sunt ab illo, contra quem ipsis hisce fundamentis persuasi, (neq; enim ex fide tantum; ut nonnulli volunt) firmiter statuimus, Intellectum veram hominis formam (non assistentem, sed informantem) esse, & per eum habere hominem ut rationalis sic ac vocetur. Alex. de an. c. 23.

16. Si enim propria primaq; hominis operatio est Intelligere; propria primaq; ejus causa in eodem ut sit, necesse est: cum omnis actus intelligendi, posterior sit Intellectu: nec tribui cuiquam possit, quod intellectuali natura præditum non sit. Vide Thom. 3. an. Opuse. 16. &c.

17. Id autem quo primò vivimus, sentimus, & intelligimus, formam esse & entelechiam &c. 2. de an. ab Arist. positum & demonstratum.

Inlel-

18. Intellectus porro nostri naturam mediam, qua, dicente Proclo, ἀμφοτέρως ἔχει ἀμφοτέρωθεν est, explicat. Algazel tra. 50. Log. & agnoscit Peripatius, ut fatente Averr. 2. phys. t. 26. dubium hic sit nullum.

19. Ea tamen neq; ex Platoniorum mente nobis probanda, neq; illorum, qui mediam volunt, quasi ex mortali & immortali, materiali & immateriali: sive per abnegationem extremorum hoc accipias, sive compositionem eorundem.

20. Sed per comparisonem extremorum, ut inquit Polus Venerius l. 6. an. rat. nimirum, quod neq; secundum esse, operationem, ac opus, materia sese immergat; (ut forma ex potentia materia educita) neq; sit forma nudè assistens, cujusmodi Intelligentia motrices: verè autem informando, homini det esse: corporea tamen non evadat, sed ut Aristoteles 3. an. demonstrat, ἐπιγινῶς ἔμπαυδῶς sit, tum essentia sua intelligibilis, tum operationis, tum rerum quas intelligere debet, respectu.

21. Et in his primus ille Intellectus nostri status efflorescit, simplex inquam ille, puraq; potentia insignis, & rase tabula instar, nudus: plane ut corpus etiam humanum prodit nudum, & ab instrumentis omnibus pro defensione sua oportunis, auspicio natura, (non noverca tamen sed parentis) imparatum: ut nempe omnibus accipiendis & induendis esse paratissimum.

22. Ne tamen in hoc primo gradu quiescat, torpeatve Intellectus, territorio videlicet illo Intellectualis natura neutiquam exculto: Ecce tibi providentis natura, ad perfectionem excitantis, stimulus; desiderium inquam illud sciendi: de quo praclare & graviter, primo Metaphysicorum aditu Aristotelis. Omnes homines natura scire appetunt.

23. Magna vox: at supra fidem multorum. Quam ratio tamen, & plenior hac appetitus conciliabit theoria.

24. Triplicem enim Schola jaçtitant, Naturalem, Sensitivum, & rationalem: quorum hic, Voluntatis nomen habet proprium; ille vero in animalibus brutis precedente sensuum cognitione, rectè movendus, officio suo defungitur.

25. Naturalis autem, est propensio & inclinatio rebus per naturam indita, qua nullâ etiâ prævia cognitione, ipso natura instinctu feruntur ad ea, qua ipsis perficiendis, conservandisq; accommodata sunt,

26. Nec est tamen ut negem, similitudinis quadam ratione vocabulum hoc (appetitus) ad natura hac opera esse deductum. Idq; non nullo, nec vano, neq; exemplo, (ut in plurimis alijs) insolenti.

27. Ut ergo appetens appetit propriam perfectionem, Scal. Ex. 102. f. 6. ita qua perfectionis boniq; causa fiunt, absq; appetitu haud fieri arbitramur: sive cognitionis aliquem ductum sequantur: sive eam agendi præ se ferant rationem, quam nulla præcedens cognitio præscribere queat. meliorem.

28. Ita nimirum levia sursum, gravia deorsum moventur: ita materia formam appetit, ut femina marem: Sic magnes ferrum; an ferrum potius magnetem?

29. Quid? quod opus natura omne, opus intelligentia dicatur? piè mehercules & vere, ut alibi disputabimus. Hanc operam sibi habeat, sciendi appetitus; quem in homine Naturalem esse concludimus ratione hac.

30. Omne imperfectum ipso natura instinctu perfectionem appetit & bonum, pro essentia modo sibi cognatum. Hominis Intellectus, etsi quoad essentiam perfectus, in primo tamen illo potentia (de quo diximus) statu imperfectus est, & pro Intellectualis natura conditione propriam sibi & vernaculam habet Intellectionem. Ergo natura instinctu ad hanc, (nulla etiam antegressa deliberatione) ut appetitum habeat, est necesses.

31. Ut non male à Thoma dictum sit, Lapidem non magis tendere deorsum, quam Intellectum nostrum sollicitante natura, rapi ad cognoscendum,

32. Hinc nimirum fit, quod curis vacui, etiam quid in celo fiat, scire avemus. Cic. 2. fin. Nec tam sit torpentis quisquam & abjecto in terram animo, qui non excitetur ad vocem hanc; Ego tibi huius rei causam patefaciam. Virg. 2. an.

33. Ut autem 9. Metaphy. potentia Naturales ita opponuntur
Liberis

Liberis: ut libera nihilo secius (alio tamen modo) naturales dicantur: Ita de appetitu naturali hic sese res habet, quaestione videlicet deducta, ad actum appetendi, à potentia jam elicitedum.

34. Rationalis enim appetitus interdum potentiam ipsam notat: Interdum vero actum à potentia elicitedum.

35. Hic actus, vel naturalis est, vel liber, vel inter utrumque medius.

36. Et has differentias agnoscere promptum erit, respicienti ad ea, qua in actibus occurrunt, specificatio inquam & exercitium.

37. Aut enim potentia sic determinata est, ut proposito objecto, ejusque eadem in potentia cognoscente manente notitia, sublatisque impedimentis alijs, non possit non agere: neque alio, quam agit, modo agere. Et hic actus certe quidem simpliciter necessarius est: nempe iam exercitij tum specificationis vinculo: cuius in brutis & inanimatis sunt exempla.

38. Aut contrario modo, tum quoad exercitium, tum quoad speciem liber est, ut nempe vel agere vel non agere possit: & cum agit, vel hoc eligere, vel repudiare v. g. uxorem ducere, vel non. Et si ducere velis, vel hanc possis vel illam.

39. His medius intercedit actus ille, quem exercendi quidem, cum velis, libertas est: attamen eo jam in exercitio posito, certa species praesto est, qua ad certum agendi modum, factique speciem unam necessario invitet, ut nullius etiam libertatis, quanta quanta sit, jus in eo sit ullum. v. Fons. 1. Met. qua 1.

40. Alterum ergo quod Aristoteles dicto illo insinuat, & sensuum exempli depingit, hoc est, quod omnes homines scire appetant; actu à voluntate, quoad exercitium libere quidem elicito, sed ad specificationem, naturali quadam necessitate contracto; ut recte Cajet. Ferr. Fons. Sc.

41. Quorum copijs Scaligeri isthac Ex. 307. s. 3. jungenda, siue lucis siue eruditionis gratia; & quidni utrumque?

42. Est ergo in homine propensio illa naturalis, & appetitus perfectionis, sed is, non in actu semper & apud omnes; in multis, potestate.

Cita-

43. Citatur ergo in homine aut à sensu, aut cogitatione, aut à memoria. Et ab eo deinde movetur vis illa, quam voluntatem appellamus.

44. Hujus actum, volitionem dixere, novè quidem sed aptè, imò fere cum Scaligero dixerim, necessario.

45. Ad volitionem hanc appetitus ille non semper educitur: Cum voluntas usurpatione libertatis eam sistere potis sit.

46. Quod si vero actu jam se extendit intellectus, & volitionem ipsam exercet; ita vult appetitq; scientiam, ut eam, quatenus scientia est, non possit non appetere libertate videlicet exercitij ad specificationem actus limitata.

47. Dixi, quatenus scientia est. Alias enim (inquit Fons) quatenus cum aliquo labore, dispendio, vel neglectu rerum magis ad vitam necessariorum, &c. conjuncta est, quis illam cum professoribus suis negligi, non plane videt?

48. Manet ergo, quod Eustratius inquit: ἡ ἐπιθυμία ψυχῆς λογικῆς πλεονεχία, πρὸς ἀγαθὰ τῶν ἄλλων, ἐστὶ τὴν οὐκ ἐκείνων ἐπέσταν.

49. Atq; hinc ad alias de scientiarum ac Theoretica philosophia (quibus non instructum, ὁμοῦ μὴ ἄνθρωπον asserere ferme ausi sunt, Averr: Boëth. Alb) qui velit abeatis mihi ad propositionem Aristotelis redi vere visum est, cum inquit Omnes homines τὸ εἰδέναι ὁρεγοῦσιν.

50. Ejusce rei rationem redditurus 1. an. t. 1. Omnem inquit notitiam esse in numero rerum bonarum ac honorabilium.

51. Utrobiquè, non ἐπιθυμία & ἐπιζητεῖται, sed εἰδέναι nominat. & εἰδέναι idq; ut arbitror, rerum cognoscendarum, & cognitionis respiciens varietatem.

52. Non enim ut tanta rerum varietati (qua cognitioni nostra propemodum complectatur omnem (ut rectè à Philopono animadversum) & Intellectionis orbem concludat; & appetitui (de quo diximus) explendo perficiendoq; sese adequatè sistat.

53. Εἰδέναι tamen illa una est; qua & cognitionis varietatem propemodum complectatur omnem (ut rectè à Philopono animadversum) & Intellectionis orbem concludat; & appetitui (de quo diximus) explendo perficiendoq; sese adequatè sistat.

Annus

44. *Aane vero, quae διαλεκτικῶς, soloci filo tractata, Φιλοσοφί-
αῖς pariunt nulla. & Intellectū ἀμετάπτωτον non reddunt, anne in-
quā ea, vel naturā appetitur, vel τῶν καλῶν ἢ τιμῶν esse videatur?*

55. *Sic obijcit Simplicius; eaq. ratione persuasus, Aristotele. 1. an.
2. 1. perfecta & exquisita cognitionis eulogiū statuisse, docet. Idem pro-
cul dubio dicitur, de eo, quod ex 1. Met. 1. 1. haecenus disputatū.*

56. *Mihi v. prima respondendi occasio in ipsis 1. an. 1. 1. vere-
bū est, cum ἐπισηύει unam altera praestantiorē inquit & honorabi-
liorem, vel propter certitudinem demonstrandi, vel subiectorum no-
bilitate, vel utriusq. ratione. His enim quis non videt illas etiam in-
cludi, quorum à demonstrationis ἀνεπίσεια commendatio nulla?*

57. *Quod cum de rebus divinis, caelestibus, & à sensu remo-
tioribus 1. part. c. ult. 2. Cael. 1. 20. affirmasset Aristoteles; mox ad-
dit, levem etiam & quadantenus rudem horum cognitionem amplius
& expeti & delectationem parere majorem, quā si haec nobis jun-
cta teneamus omnia.*

58. *In ipsis porro rebus (inquit Cic. 5. fin.) qua cognoscun-
tur, invitamenta insunt, quibus ad discendum cognoscendumq. (nulla
utilitate objecta, imò si vel incommoda datura sit scientia illa) mo-
veamur: quod Aristoteli est, Scire appeti propter ipsum scire.*

59. *In quo dignitas Philosophia Theoretica clarissime resurgit,
quāvis de Practica negandum non sit, eam itidem appetitu natu-
rali, tum innato, tum elicitō naturaliter desiderari.*

60. *Ecquid vero in numero τῶν καλῶν ἢ τιμῶν, de quibus
1. an. 1. loquitur Aristoteles, Practica etiam habenda sint, problema
est. In quo ad partes negantes, cum Zab. mihi, sine cujusquam in-
vidia, inclinatio animus est.*

DISSERTATIO SECUNDA.

Severini Boethii, de natura, Persona, hypostasi &c. disquisitio, ex-
cerpta è libro de duabus naturis & una persona Christi, adversus Hiry-
chen & Nestorium.

Thesis I.

Exremos sibiq. contrarios haereson Nestorij atq. Eutychis submo-
turus errores, si quis Personae Naturarumq; rationē habuerit
perspectam, rectius Deo duce, Christiana medietatem fidei temperabit.

B

Natura

2. Natura igitur (inquit Boët) 1. aut de solis corporibus, 2. aut de solis predicatur substantijs: id est, corporeis & incorporeis:
3. aut de omnibus rebus, quæ quocumq; modo dicuntur.
3. Tertio modo dicta, Natura est earum rerum, quæ cum sint, quoquo modo ab intellectu capi possunt.
4. Ita nimirum & substantia & accidentia definuntur: hæc enim omnia intellectu capi possunt.
5. Additum v. Quoquo modo: quoniam Deus & natura, integro perfectog; intellectu intelligi non possunt, sed aliquo tantum modo caterarum rerum privatione capiuntur.
6. Idcirco v. adjunximus Quæ cum sint: quia etiam nihil significat, aliquid, sed non Naturam. Neq; n. quod sit aliquid, sed potius non esse significat. Omnis vero natura est.
7. De substantijs v. solis cum dicitur Natura, est, Quod facere, vel quod facere & pati possit. Facere quidem, ut Deus, cateraq; divina. Facere ac pati; ut omnia corpora, atq; corporeorum anima. Hæc enim in corpore & à corpore, & facit & patitur.
8. Quod si relictis substantijs incorporeis, ad corporales usq; contrahitur Natura nomen (sicut Aristoteles cateriq; & ejusmodi & multimoda phisosophia sectatores putant) Natura definitur Principium motus per se.
9. Omne enim corpus motum habet proprium, ut igni sursum, terra deorsum, cujus motus Natura est Principium.
10. Per se dico: quia lectum quoq; ligneum deorsum ferri necesse est: non quia lectus, sed quia lignum, terræ gravitate & pondere ducitur.
11. Unde fit, ut lignum naturaliter esse dicamus (& sic moveretur per se) lectum vero artificialiter; Et sic moveretur per accidens.
12. Est & alia significatio natura, per quam dicimus esse diversam auri argentiq; naturam. Quæ significatione definitur natura, Unamquamq; rem informans specifica differentia.
13. Et hæc est naturæ definitio, quam respicientes tam Catholici quam Nestorius, duas in Christo naturas constituunt. Neq; enim eandem in Deum atq; hominem differentias convenire.
14. Sed de Persona dubitari maxime potest, quænam definitio possit apertari. Si enim omnis habet natura personam, indissolubilis nodus est, quam inter naturam personamq; possit esse discretio.

Aus:

15. Aut si non aequatur persona naturæ, sed infra terminum spatiumq; naturæ persona subsistit; difficile demum est, ad quas usq; naturas persona perveniat, id est, quas naturas conveniat habere personam; quas à personæ vocabulo segregari.

16. Nam illud quidem manifestum est, personam subjectum esse naturæ; nec præter naturam, personam posse prædicari.

17. Quo posito, cum naturæ aliæ sint substantiæ, aliæ accidentia; in accidentibus persona constitui non potest. Quis enim dicat, ullam albedinis, nigredinis, magnitudinis personam?

18. Persona ergo in substantiis: sed non omnibus. Neq; enim lapidis persona est; nec viventium, quæ sensu carent, ut arboris; neq; eorum, quæ muta & sine ratione, solis sensibus vitam degunt.

19. At hominis dicimus esse personam, dicimus Dei, dicimus angeli.

20. Rursus substantiarum aliæ sunt universales; aliæ particulares.

21. Ille sunt, quæ de singulis prædicantur, ut genera & species.

22. Hæ, quæ non prædicantur de alijs: ut Cicero, hoc as, hoc lignum.

23. In Universalibus nusquam persona dici potest, sed in singularibus tantum & Individuis.

24. Quocirca, si persona in solis substantiis est; atq; in his, rationalibus: Substantiæq; omnis natura est: nec in Universalibus, sed in Individuis constat: reperta est Persona definitio, Naturæ rationabilis individua substantia.

25. Vocabulum ipsum (Persona) tractum ab his, qui in Comedijs, eos, quorum interest, homines repræsentabant: individuos inquam, ut Hecubam, Medeam &c. Hinc ceteros quoq; homines, quorum certa pro sui forma esset agnitio, & Latini Personas, & Græci προσωνα nuncupaverunt.

26. Longe vero signatius naturæ rationabilis individua substantiam προσωνα nomine peritior sermonum designat Græcia, cum de Individua substantia sermo est.

27. Cum enim οι προσωνα in universalibus quidem esse possint: in solis autem individuis subsistent; adeoq; Intellectus universalium rerum ex particularibus sumptus sit; iure substantias particulariter subsistentes προσωνα eis appellaverunt.

28. Pensus subtiliusq; intuenti, non idem videbitur substantia, quod substantia. Quod enim προσωνα illi, id nos substantiam appellamus. Quod προσωνα substantiam nos interpretamur.

29. Subsistit enim, quod ipsum accidentibus, ut possit esse, non indiget. Substat autem id, quod alijs accidentibus subjectum quoddam, ut esse valeant, subministrat.

30. Sub illis enim stat, dum subjectum est accidentibus. Itaq; genera vel species subsistunt tantum (neq; enim accidentia generibus speciebusve contingunt) Individua

dividua vero non modo subsistunt (nam neq; ipsa indigent accidentibus, ut sint: in-
formate enim sunt jam proprijs & specificis differentijs) sed accidentibus, ut esse
possint, ministrant; substantiæ, id est, subjecta dum sunt.

31. Quocirca $\epsilon\alpha\upsilon\tau\eta$ quidem esse, & $\epsilon\sigma\iota\omega\delta\epsilon\upsilon$ vero subsistere intelligitur, ut
 $\epsilon\phi\iota\sigma\epsilon\delta\epsilon\upsilon$, subsistere.

32. Ideo autem $\epsilon\pi\omega\sigma\epsilon\sigma\epsilon\iota\varsigma$ Græci Individuas substantias invocaverunt, quo-
niam cæteris subsunt, & quibusdam quasi accidentibus suppo-
sitas.

33. Atq; idcirco, nos quoq; eas substantias nuncupa-

34. Cumq; $\omega\epsilon\sigma\omega\mu\alpha\tau\epsilon$ nuncupent easdem su-
nuncupare Personas.

35. Idem ergo esse $\epsilon\sigma\iota\alpha$, & $\epsilon\sigma\iota\omega\sigma\iota\upsilon$, $\epsilon\pi\omega\sigma\epsilon\sigma\iota\upsilon$, & $\omega\epsilon\sigma\omega\mu\alpha\upsilon$ intelligimus,
quod Essentiam, subsistentiam, substantiam personam.

36. Est igitur hominis quidem $\epsilon\sigma\iota\alpha$ & $\epsilon\sigma\iota\omega\sigma\iota\upsilon$, & $\epsilon\pi\omega\sigma\epsilon\sigma\iota\upsilon$, & $\omega\epsilon\sigma\omega\mu\alpha\upsilon$,
id est, Essentia, subsistentia, substantia, & persona.

37. Essentia quidem; quia est. Subsistentia vero, quia in nullo subjecto est. Sub-
stantia, quia subest cæteris, quæ $\epsilon\sigma\iota\omega\sigma\epsilon\iota\varsigma$, id est, subsistentiæ, non sunt. Persona,
quia est rationale Individuum.

38. Deus quoq; $\epsilon\sigma\iota\alpha$ est. Est enim, & maxime ipse est, à quo omnium
esse proficiscitur. Et subsistentia: Subsistit enim nullo indigens. Unde etiam dicimus
unam esse $\epsilon\sigma\iota\alpha$ vel $\epsilon\sigma\iota\omega\sigma\iota\upsilon$ Deitatis: sed tres $\epsilon\pi\omega\sigma\epsilon\sigma\epsilon\iota\varsigma$, id est, substantias.

39. Et quidem secundum hunc modum dixere unam trinitatis essentiam, tres
substantias, tresq; personas.

40. Nisi enim res in Deo substantias Ecclesiasticus loquendi usus excluderet,
videretur idcirco de Deo dici Substantia. Non quod ipse cæteris rebus quasi subje-
ctum supponeretur, sed quod idem omnibus, uti præfesset, ita etiam quasi principium
subesset rebus, dum eis omnibus $\epsilon\sigma\iota\omega\delta\epsilon\upsilon$ vel subsistere subministrat.

41. Hæc Boëthius tribus cap. docte, eleganter, & verbis, ad multorum in phi-
losophico dicendi genere nauseam retundendam, accommodatè. In quibus tamen sit
vel minuendum aliquid vel addendum, vel aliqua mutatione variandum sit, cel-
losus ipse docebit.

COROLLARIA.

1. Anne ergo omnem essentiam hypostaticam, essentiam esse dicendum est?
2. Et tres in divinis essentias esse, quia tres sunt essentia hypostatica?
3. Anne duabus personis manentibus, Unum (v. g. unus Christus) fieri possit?
4. Discursus Boëthij c. 4. & 5. de re quidè Theologica, sed Theologicus non est.
5. An autem Pædia sit? Negamus.

•••••

lud contineri quod voce unius exprimitur, & af-
nit, superiori disp. th. 49. & seq. constitutum es-
set, nempe unum non esse Indivisionem sed Ens
ficatu videlicet adequato. Indivisionem vero
Entis rationem, Enti superadditum, rationem un-


38. In Unitatis autem notione cum duple-
ceptus, 1. Entitatis indivise, 2. privationis Enti ju-
ri possit, Nunquid unum primò dicat Ens, vel i-
primum illum conceptum secundo anteponimus
quod superiori disp. th. 36. jam ante constitutum

39. Quibus recta ratione comparatis faci-
inquit Arist: Unum non esse prater Ens: uniu-
esse naturam, propterea quod se invicem sequantur
una ratione significantur: 4. Met. t. 3. & quod
aut simpliciter, aut prout est unum, indivisibile e-
Ego enim qua unus sum, individuus sum, neq. s-
quemadmodum homo universale, ut in aliis homi-
Qua vero sum quantus, dividuus sum. &c.

40. Neq. obscurum esse potest, quàm plane
rationes Timpleri l. 2. c. 3. q. 11. eò quod unum non
vel indiviso: sed Ens indivisum. Et (verba
absurdum non sit, tribuere Deo nomina privati va-
imperfectionem significant, cum id, cujus absente
fectionem importet.

41. Imò vero, si extra ens consideretur un-
nem non designati: ita omnem quam habet, ab En-
etiam respectu magis & minus accipit: Et omnino
ipso, quatenus ens, vel tale Ens, simplicitatis vel
fectionis vel imperfectionis est, id omne unitati rat-
cum Ente, commune est.

42. Ex eodem hoc fundamento enascitur, qu-
respondendum est: In quibus ut pleraq. recte dici
concluditur, veritati sententiae proposita nequaqua-



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TEX3 Serial No. 077 Patch Reference numbers on UTT